

1523 libus, Rentio Cerite adjuncto, Abdua trajecto, Melenianum contendit: inde Cremonam adortus, quam centum cataphracti equites, ac peditum quatuor millia praesidio tenebant; tormentis admotis, postquam triduo urbis moenia magno impetu quassata, ac diruta forent, dato signo milites corona urbem aggredi iussit: conatus irrita eventu cecidere; tum propugnatorum virtute; tum pluviis repente obortis, ac magnis imbribus quatruiduo e caelo demissis.

Mediolanensium inopia.

Cremonae igitur recuperandae spe amissa, Gauferius, qui antea Mediolanensis expugnationis dubium, difficilemque exitum veritus, in aliis oppugnandis oppidis, atque urbibus tempus triverat, rursus cum omnibus copiis ad Mediolanum obsidendum revertitur, recenti spe adductus, ut commeatu intercludendo, hostes omnium rerum inopia pressos ad deditio-
nem compelleret. Quocirca Modoetiam, Mediolanumque inter parte copiarum collocata, a duobus lateribus urbs obsessa, tam iis, qui e Laudensi, ac Ticinensi agro, quam illis, qui ex Brianteis montibus commeatus in civitatem importari solent, carere cogebatur. Ad haec frumentariis molis a Gallo disiectis, ac incensis; adeo ingens in civitate oppidanorum multitudine, ac militum referta annonae caritas est oborta, ut supra centum hominum millia per aliquot dies leguminibus vesci coacti fuerint; donec molis, quae manu versarentur, in civitate fabrefactis, huic incommodo obviam itum est. Civitas liberali victu afflueta, rerum non modo affluentia privari, verum quoque in usus vitae necessariis aegre intercludi patiebatur. Prosper Columna, ut hostes a coepta obsidione averteret, Principi Mantuanorum mandaverat, ut cum Pontificio equitatu Ticinum profectus, ne annona ad castra hostium deferretur, omni contentione niteretur. Eodem tempore cum Venetorum copiae ad Ticinum pervenissent, inopia urbis laxari, atque affatim in obsessam urbem cuncta confluere, cives afflicti sublevari coepere. Veritusque Gallus, ne a nostris disiecto, aut occupato ponte, quem ad Viglevanum struxerat, qui alios obsidebat, exercitus penuria laboraret, copias, quae Modoetiae erant, ad se vocat; quo facto undique ex agris tanta tritici, vinique copia in urbem est invecta, ut omni spe per obsidionem potiundae civitatis Praefectus maris
exci-